

*SERENISSIMO ac CELSISSIMO*

PRINCIPI

FRIDERICO  
WILHELMO,

MARCHIONI BRANDENBURGICO, S. R.  
I. ARCHICAMERARII ET ELECTORA-  
LIS DIGNITATIS HEREDI, SUPREMO  
DUCI BORUSSIÆ, MAGDEBURGI, CLI-  
VIÆ, JULIACI, MONTIUM, STETINI,  
POMERANIÆ, CASSUBIORUM ET VAN-  
DALORUM, UT ET IN SILESIA, CROS-  
NÆ ET CARNOVIÆ DUCI, BURGGRA-  
VIO NORIMBERGENSI, PRINCIPI HAL-  
BERSTADII, MINDÆ, ET CAMINI, CO-  
MITI HOHENZOLLERÆ, MARCÆ ET  
RAVENSBERGÆ, DOMINO RAVEN-  
STEINII, ET TERRITORIORUM LEO-  
BURGII ET BUTOVII, &c. &c.

S. D.

JOANNES GEORGIUS GRÆVIUS.

**I**N incredibili hac lætitia, qua Poten-  
tissimum Parentem Tuum, tanquam  
omnis suæ salutis auctorem & fundatorem,

## D E D I C A T I O.

communisque libertatis & securitatis Europæ defensores & custodes unicum, Te vero tanquam spem alteram orbis, & futuri temporis præsidium, ut & totam Augustam Domum tanquam effectricem suæ felicitatis, sic accipiunt Tuæ ditionis populi, ut non modo omnis ætatis, ordinis, sexus, fortunæ homines, sed ipsi agri, mœnia, tecta, templa urbium & pagorum Clivenfium, quasi sedibus suis convulsa videantur lætari, ut hujus gaudii plausus longe lateque hic etiam apud nos audiantur, & omnium animos pertentent, non potui pro summa pietate religioneque officii, qua Celsissimæ Brandenburgicæ Familiæ me obstrictum esse sentio, semperque sensi, à me impetrare, ut, cui non minus gaudium attulerit Vester optatissimus adventus, quam ulli Vestrorum civium, in sinu quasi gauderem. Hujus mei sensus testem ad Te mitto C. Julium Cæsarem. Nec is dedignatus est ab homine umbratico allegari ad Te tantillæ Principem ætatis, & quia huic nostræ nationi debere se agnoscit, quæ multum & diu elaboravit in detergendo situ & squa-

D E D I C A T I O.

squalore, quo misere foedatus erat & temporum injuria, & barbarorum ei omnibusque pristini seculi heroibus infestissimorum manibus: & quia se legari ad Principem gaudet, qui in tam teneris annis tam magna de se promittit, ut omnes, qui divinitatem indolis ejus norunt, spe animisque præcipiant quasi futurorum quodam augurio, Eum, ubi se corroboraverit, nec animi celsitudine, nec magnitudine rerum gerendarum, nec ingenii doctrinaeque præstantia Julio cessurum esse. Quid enim non sibi polliceantur de Te FRIDERICE WILHELME, qui, cum vix depositis primæ ætatis crepundiis, nondum excessisti nonnum annum, longe tamen captum hujus ætatis excessisti in celeriter arripienda doctrina de terrarum situ, de serie omnium temporum, de Regnis & Rebuspublicis, quæ in orbe terrarum floruerunt, in imbibendis salutaribus sententiis ad cultum vitæ & formandos mores ad omne decus tanto Principe dignum, ex optimis linguæ Latinæ auctoribus, ne dicam quod primo loco dicendum erat, de rectis sensibus, quibus

## D E D I C A T I O.

de cultu Divino imbutus es? Hæc non tantum sermone hominum celebrantur, sed confirmantur etiam testimonio Viri doctrinis omnibus expoliti, & spectatæ virtutis, prudentiæ, & integritatis, qui Tibi est ex sententia Sapientissimi Parentis à studiis. Hæc ingentia corporis & animi ornamenta, quæ in Te tam proluxa natura congeffit cumulatissime, & castissima disciplina cum maxime corroborat, quos non fructus de Te spondent, cum maturuerint, non tantum populis Tibi subjectis, sed toti Europæ, imprimis vero Belgis fœderatis. Nam ut splendidissima fax lucem late diffundit tam in longe remotos, quam vicinos, proximos tamen maxime collustrat; sic Tuæ virtutis & sapientiæ ex propinquo loco lumen lætius & benignius illucescet iis, qui Tuas gentes attingunt proxime. Admirabilem enim Belgis de Te movit expectationem vicinitas finium, communia sacra, ardensimum vetustæ societatis & amicitæ mutuis officiis & opibus summa fide à Brandenburgica Domo & hæc republ. cultæ vinculum, necessitudinis sanctissimæ jus, propter

## D E D I C A T I O.

pter sanguinis Vestri cum Arausionensi conjunctionem: sed imprimis amabilissimi Tui mores, civile & maxime beneficium, quod in Te puero undique se prodit, ingenium, & mirifica quædam erga has gentes voluntas, quam in omni sermone præ Te fers, ut nihil Tibi longius sit & desideratius, quam eas perlustrare, ut ad illas magis quam ad ullas alias, quæ non sunt Tui juris, Tibi devinciendas natus esse videaris. Hinc pro Tua salute Deum immortalem æque venerantur Batavi cæterique socii populi, ac pro sua. Ita tanta spes & expectatio, quam de Te concitasti, indeque natus mirus Tui amor augebitur indies, & cum Tuis accrescet annis, si à cursu, quem tenes in excolendis artibus, quibus Principes erudiuntur ad tantam personam à Deo sibi impositam cum decore & laude gerendam, nec voluptatum delinimentis, nec pestilentibus adulatorum, quorum magnus in Regiis proventus est, vovulis, qui sapientiæ studia privatorum esse bona jactant impudenter, Te non patieris auferri, sed porro contendes ad illum præfectionis

## D E D I C A T I O.

gradum, ut optimus & magnus Princeps sis potius quam velis videri. Hoc non tam præstat diadema, sceptrum, & omnis illa excelsæ fortunæ species, quæ hominum non sapientissimorum oculos ferit, quam virtutis, sapientiæ, moderationis ac justitiæ laus egregiis artibus parta. Dicet hoc Tibi, & parasitis sceleratis os obstruet Julius Cæsar, qui nunquam potuisset ad summum istud gloriæ culmen adspirare, nisi tantum studii posuisset in artibus, quibus administratur respublica, quam quibus hostes vincuntur. Is est enim Cæsar qui plura majoraque gessit quam quisquam non dicam sperare sed ne optare sustinuit: sed qui idem non militari re magis excelluit, quam eloquentia, qua disertissimis, quorum illud tempus Romæ tam ferax fuit, ut nullum ante vel post fuerit, quod cum illo potuerit ullo modo conferri, palmam aut præripuit aut fecit ambiguam. Non denunciabo Marco Tullio testimonium, qui ut togatorum erat eloquentissimus, sic unus omnium de his artibus optime poterat judicare. Is negabat se videre, quis eorum, qui hoc unum

## D E D I C A T I O.

num per omnem vitam egissent, Cæsari debeat anteferri eleganti, splendida, magna & generosa dicendi ratione. Non opus est Ciceronis testimonio, cum facile id persuadeant omnibus, quibus de his existimandi facultas est, isti, quos Tibi Celsissime Princeps offero, Cæsaris libri, qui ex multis pauci supersunt, quamvis sint subito effusi in castris aut itineribus. Possem corruptoribus illis Macedonem Philippi filium, cui felicitas Europæ Asiæque subactæ Magni cognomen dedit, & innumeros alios obducere, qui non putabant se nihil agere, nec in tenui indignaque Regibus re operam collocare, cum illis manibus, quibus aut gubernacula potentissimorum regnorum tractabant, aut infestissimorum hostium maximas copias fundebant, versarent immortalium ingeniorum monumenta, nisi testatissimum esset, beatorum seculorum omnibus Regibus & Imperatoribus, si à paucis discessemus, curæ fuisse, ut sicut natalium, fortunæ & dignitatis altitudine longe supra ceteros homines extollebantur, sic & præstantissimarum artium

## DEDICATIO.

tium ad belli pacisque usum scientia inter omnes eminent. Sed pecco Princeps Serenissime, qui exterorum Regum obsoleta nomina apud Te usurpo, cum splendidissima & recenti laude virentia Tua nobis Celsissima Domus ingerat non pauca. Non Joannem Alberti, quem Germania suam Ciceronem ducebat ac suspiciebat, non Joachimum primum, cujus copiose sapienterque dicendi Latine vis in admirationem rapuit invictum Imperatorem Carolum Quintum & totum Procerum Imperii Germanici confessum, qui Augustæ Vindelicorum erat. Avus Tuus sanctissimæ memoriæ, etsi per tristitiam asperrimorum temporum in primo ejus ætatis flore Latinarum litterarum studium fuisset neglectum, robustior tamen per se istius linguæ cupiditate incensus eo in illa discenda processit, ut apud Latine loquentes interpretem non requireret. In historia vero nostrorum præcipue temporum, in arte condendi tam palatia & prætoria, quæ sint ornamento, quam arces & munimenta, quæ sint, si bellica tempestas ingruit, subsidio, sic erat exercita-

D E D I C A T I O.

citatus, ut nulli Principum cederet. Magni Parentis non minor Filius, Pater Tuus ab ipsa pueritia deditus fuit his artibus, quarum rudimentis Tu nunc tanquam minusculis Musarum sacris initiaris, ut mirum non sit tantum ex litterarum cultura Principem nunc percipere fructum, ut illius sapientia & virtute indies amplificetur gloria & potentia Brandenburgici Nominis, comoda & beatitas civium, amor in se & benevolentia Regum, Principum & liberorum populorum, optimarum denique doctrinarum & artium omnis generis decus. Nulla poteris, Serenissime Princeps, uti præstantiore disciplina imitatione Sapientissimi Parentis, Majorumque Tuorum, quos putabis tibi dicere, quod Theodosius Magnus filiis suis Te non multo majoribus præcepit apud Latinum poetam:

*Interea Musis, animus dum mollior, in se,  
Et que mox imitere legas: nec desinat unquam*

*Tecum Graja loqui, tecum Romana vetustas.*

Hæc

D E D I C A T I O.

Hæc monita si audieris, & occluseris è contrario assentatorum venenatis laudibus aures, cresces in Principem omnibus numeris absolutum, qui non tam illustretur longa imaginum serie, quam illam sit illustraturus. Quod ut fiat, tot hominum imo tot magnorum populorum votum est, cujus ut potiantur Deum assiduis precibus mecum fatigant. Vale Celsissime Princeps. Trajecti Batavorum, postridie Idus Augusti Julias MD IO CXCVI.

J. D A-